



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologōn diaphorōn syngammata palaia kai orthodoxa

Gessner, Conrad

Tiguri, 1560

VD16 G 1810

De Concilio Laodicensi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72021](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72021)

P R A E F A T I O.

ta uerò est illa Synodus imperatore Constantio Marcello & Probino Cofs. Damnatus est, in hac synodo beatus Athanasius ab Arrianis, & in eius locum substitutus Gregorius. Edicta etiam est in hac synodo confessio, aut symbolum fidei, quod prima specie Niceno consentire uidebatur, uerum Arrij sententiam defendebat. Extat hoc symbolum in historia ecclesiastica Socr. lib. 2, & apud Athanasium, item apud Hilarium in libro de synodis.

DE CONCILIO LAODICEÑO.

Laodicena synodus celebrata est tēpore imperatoris Constantij, uel ut alij uolunt post mortem Souiniani. Mentio huius synodi fit in Decreto Gratiani Dist. 16. ubi scribitur Theodosium episcopum præcipuum auctorem canonum huius concilij fuisse.

DE CONCILIO CONSTANTINOPOLITANO.

Constantinopolitanum Concilium iussu Theodosij imperatoris congregatum est, anno à Christo nato 385, Cofs. Euagrio, seu Syagrio, ut eum alij nominant, & Eucherio. Damnatus est in hoc concilio à 150 patribus Macedonus cum suis sectatoribus, qui spiritum sanctum Deum esse negabant. Confirmarunt Patres in hoc concilio fidē Nicenam, & constituerunt patriarchas, & prouincias distribuere, mandantes ut unus quisq; episcopus ad extraneas ecclesias non iret, causa docendi, uel ordinandi. Hoc enim olim propter persecutionis tempus indifferēter fiebat. Alia quoq; statuere quæ ex canonibus cognosci possunt. Numeratur hoc concilium secundo loco inter quatuor Oecumenica aut uniuersalia, quæ fidei symbola ediderunt.

DE CONCILIO EPHESINO.

Concilium Ephesinum tertium ex quatuor Oecumenicis in quo 200 episcopi congregati fuerunt, conuocatum est iussu Theodosij iunioris anno D. 431 Basilio & Antiocho Cofs. Causam conuocandi concilij dedit Nestorius episcopus Constantinopolitanus, qui Mariam Dei genitricem nominandam esse negabat, & humanitatem Christi à diuinitate separabat. Oppugnauit hunc acriter Cyrillus Alexandrinus episcopus ac eum damnauit, & agere ferens se absente factum esse Ioannes Antiochenus, cum Orientalibus episcopis se Cyrillo opposuit. Verum imperatoris sententia Nestorius in Oasim relegatus est, & tandem pace facta Orientales episcopi in Nestorij damnationem consenserunt.

DE CONCILIO CHALCEDONENSI.

Chalcedonense concilium quartum ex Oecumenicis à Martino imperatore conuocatum est, anno 451 Martino & Adelfio Cofs. contra Eutychem. Fuit Eutyches abbas in monasterio apud Constantinopolim, qui contrariam Nestorio uiam ingressus diuinam in Christo naturam cum humana confundebat, huic se initio opposuit Flauianus episcopus Constantinopolitanus, ac synodo hac de causa Ephesi conuocata à Theodosio iuniore, uicit Eutyches tyrannide Dioscori Alexandrini, qui calcibus insiliens in Flauianum eum ita tractauit ut triduo moreretur. Verum Martinus Imp. qui Theodosio successit ad monitus à Leone Papa synodū apud Chalcedonem cōgregauit, in qua à 630 episcopis Eutyches & Dioscorus una cum nouo suo dogmate damnati sunt.

DE CONCILIO SARDICENSI.

Sardicense concilium in Illyrico congregatum est iussu Constantis & Constantij Imp. Scum Athanasius Alexandria eiectus ad Constantem confugisset. Conuenerunt illuc episcopi plus quam 300 qui cum Nicena synodo sentirent. Ex Arrianis autem congregati sunt 76, qui tamen cum Athanasij damnationem impetrare ab alijs non possent Philippopolim Thraciæ secesserunt, ac Nicenę synodi decretū de consubstantialitate damnarunt.